



**A**lbertus filius fuit Rodolphi Cæsaris & An-  
 næ Comitissæ in Hohenburg. Hunc ob e-  
 gregiam indolē pater, Ottocaro rege Bohemo-  
 rum uictō & occiso, in comitijs Imperij primum  
 sui generis Austrię archiducem constituit. Eam  
 prouinciam Albertus magna laude administra-  
 uit, atq; incolarum animos sibi beneuolentia &  
 familiaritate coniunxit. Cum autem postea ma-  
 gnatum quorūdam factione in Austria quidam  
 rebellarent, eos Albertus magno animo compe-  
 scuit, & armis uictos imperata facere coegit. Ita-  
 que cum pater mortuus esset, maior pars electo-  
 rum in Albertum inclinabant. Verū Gerlaci an-

tistitis Moguntinensis astutia factū, ut Adolphus comes de Nassau eius con-  
 sanguineus Cæsar eligeretur. id quod Albertus æquo animo tulit.